

Raymundi prepositi Ecclesie de Incisa merita nos inducunt, ut ipsum prosequamur benevolentia graciosa. Obtentu itaque meritorum hujusmodi discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem preposito Ecclesiam campestris s. Nicolai de Quinzano Aquensis diocesis ad monasterium monacharum de Aquis ordinis s. Benedicti spectantem, si pro ut adferit, vacaret ad presens, & dicte moniales non fecerunt XXV. annis elapsis eidem Ecclesie per aliquem desservire, auctoritate nostra per te, vel per alium conferas, & assignes, non obstante si eisdem monialibus a Sede Apostolica sit indultum, quod ad requisitionem, seu provisionem alicujus compelli . . . interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, que indulti hujusmodi non fecerint mentionem, aut aliqua alia indulgentia sedis ejusdem, per quam non expressam presentibus ipsius Prepositi provisio impediri valeat, vel differri; seu si dicte moniales sint de mandato nostro super simili provisione gravate, sive quod idem Prepositus alias beneficiatus existit, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni idibus decembris Pontificatus nostri anno VIII. Unde quia pluribus negotiis impeditus predictis intendere non possum ad presens vobis nihil in me retinendo super premissis committo totaliter vices meas . . . citaverit canonice, & peremptorie presbyterum Castellanus, qui tenet dictam Ecclesiam s. Nicolai de Quinzano, ut veniret, vel compareret coram presentia ipsius prepositi de Canellis, si vellet aliquid dicere, vel opponere contra dictum prepositum de Incisa, vel litteras ipsius, qui Prepositus de Incisa petebat a domino preposito de Canellis, ut sibi conferret, & assignaret D. Ecclesiam s. Nicolai; non venit, nec aliquis pro eo, qui vellet, vel posset aliquid dicere contra D. prepositum de Incisa . . . idem Prepositus de Canellis D. Ecclesiam s. Nicolai de Quinzano dicto preposito de Incisa contulit, & assignavit, & precepit Michaeli Archipresbytero s. Johannis de Cunchis . . . ponat D. prepositum de Incisa in possessionem corporalem D. Ecclesie s. Nicolai contradictores &c., & idem prepositus subdelegatus D. Archipresbyteri de Dolanis videns &c., quod dicta sententia lata, vel data a se ipso subdelegato fuerit data per errorem, & contra jus scriptum in prejudicium D. Monasterii, & D. Prepositi, necnon dicte Ecclesie s. Nicolai, habita diligenti deliberatione, & consilio sapientum, presente D. Preposito de Incisa dictam sententiam revocavit cassando, & irritando eandem sententiam auctoritate sibi commissa, vel delegata.

Ego Obertus Not. Sac. Pal. &c.

*Locatio cujusdam possessionis facta ab Abbatissa Monasterii S. M. de Aquis. Ex Tab. ejud.*

67

MCCLV.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, indict. decimatertia, die jovis,

vigesimo quinto martii sub porticu Monasterii sancte Marie de Campis Aquis D. Purpura dicti Monasterii Abbatisse consensu, & voluntate suarum sororum monacharum dicti Monasterii, videlicet domine Damine Priore, Sibilie, Matelde, Fornarie, Avantie, Sibiline, & Ote donat . . . . . Petro Amostri, & suis legitimis heredibus ab eo descendentibus ad fictum reddendum in perpetuum omni anno in Kalendis aprilis predicto monasterio octo den. bon. propter petiam unam vinee jacentis in territorio Aquis, ubi dicitur Sambuetum coeret ei Templarii, via, Bonifacius Moytius, & Barreta. quod fictum &c. interfuerunt testes Henricus de Rocheta, Aquidinus Ocha, Bonifacius Cavallus.

Ego Ubertus Notarius publicus rogatus h. c. & aliam ejusdem tenoris tradidi, & scripsi.

*Locatio domus in civitate Aquen. facta ab Abbatissa Mon. S. M. hac lege, ut sibi dimittatur, si propter bellum in adibus Monasterii tuta non sint. Ex Tabul. Monast. S. M.*

MCCLX.

68

Anno Domini millesimo ducentesimo sessagesimo, indictione tertia, die dominico, decimoquarto novembris in Aquis in domo B. Marie de Campis Aquis apud Ecclesiam presentibus Henrico . . . . . Gelino, & Rufino Petri Guercii testibus rogatis, & vocatis D. Fornaria Abbatissa monasterii s. Marie de Campis Aquis voluntate, & consensu sororum suarum ibi resistentium (*existentium*) pro conventu, scilicet F. D. Mateldine Priorisse, D. Sibilie, D. Damine, D. Sibiline, D. Fornarine, D. Gadie, & D. Otte converse dedit in feudum per se, & suos eredes D. Wilhelmo Johanni civi Aquensi, & suis legitimis heredibus domum suam de civitate Aquis, cui coeret via publica, Monasterium s. Petri, Wilhelmus Fargualdus, & flumen Medrici . . . . . tali modo, pacto, & conditione . . . . . quod si guerra, vel discordia esset in Aquis, vel inter illos de Aquis, vel alias personas, ita quod domna Abbatissa, & monace, & res, & familia monasterii non auderent stare ad monasterium secure, neque possent, quod D. Johannes, vel sui eredes ipsas dominas familiam, & res suas reducent in domo predicta, vel eis dominabus daret, & accommodaret aliam domum competentem ad standum, & se reducendum &c.

Ego Bertolomeus Not. Pal. &c.

MCCLXV.

69

Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, non. julii Breve Clementis IV. Papa, quo Abbatissa Fructuariensi confirmat bonorum omnium antiquas possessiones, ac jura. Dat. Perusii . . . . . in Episcopatu Aquensi Abbatiam s. Juliae de Bubbio, Ecclesiam s. Mariae de Frascata, Ecclesiam s. Victoris de Calamandrana. In Archiep. Januensi . . . . . Saon. . . . . Alben., Asten. . . . . Ecclesiam s. Jacobi de Loazolio (*nunc diaceleos*)